



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Historia Missionis Anglicanæ Societatis Iesv**

**More, Henry**

**Avdomari, 1660**

Epistola Personij de re Catholica Anno 80. atque alterius Sacerdotis, ib.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38320**

1586. omnes & reculae nullam in orbe Religionem nisi nostram imis vnquam radicibus infedisse testantur.

Inter summas difficultates temporum, insidias priuatorum, Magistratuum minacia Edicta, commutata frequenter hospitia, regiones integras peragratas, scribitur, cuditur, vulgatur, laudatur, extollitur libellus verè aureus: Catholici triumphant, hæretici fremunt & obganniunt. *Veritas inter Lucifugas tenebriones quò clarius lucet, offendit magis; & rectè Campianus tormenta non scholas parari augurabatur.*

Personius scribit de non ad eundis temporibus hæreticorum & aduersus Charcum. XV. *Personius* neque industria in lucrandis animis, neque scribendo posterior, edidit his mensibus Rationes cur non essent ad eunda hæreticorum sacra, ad firmandos Catholicorum animos aduersus atrocita quæ parabantur edicta & multas pecuniarias graues nisi reuerenter interessent. Tum datâ breui in Hanmerum & Charcum Censura vtrumque vehementer exagitaui; nam quoniam auctorem Societatis *Iesu Ignatium*, & doctrinam hominum eruditissimorum canino dente lacerarant, Principes hæreticorum huius temporis, Lutherus & Caluinus, quales fuerint discipulis, sumptis coloribus ex ipsorum commentarijs; & fædissimo in fide naufragio, constantiam, sacrilegæ votorum infractiõni, castitatem, sceleratæ in Deum diuosque doctrinæ, pietatem, execrando fini exitum sanctum *Ignatij* & Sociorum opponens, quam dissimili origine, progressu, fructu hæresis pietasque prodierit luce meridiana clarius ostendit. Exceptus Catholicorum plautu liber mole exiguus, veritate illustris, hæreticos in auctorem exacuit, quem vt prehenderent susque deque omnia commouerunt; euasit tamen Dei ope subdolorum laqueos, & plures auctorum dogmatumque fæditate pudefactos in Ecclesiam restituit. Quæ autem fuerint ea tempora, quis Catholicorum inter persequentium furores sensus pietatis, ipsum narrantem audire libet, in Epistola ad Patres Romæ habitantes quinto decimo calendis Decembris Anni octogesimi. "Scuitur toto regno in Catholicos acerbissimè; carceribus coercentur nobiles æque ac plebei, viri & mulieres, magni & parui; Bona diripiuntur; fama profcinditur; Proditores ac rebelles pro cõcione, pro Tribunalibus & in compitis audiunt omnes Orthodoxi. Tot illustres viri faminæque atque apud suos potentes detinentur, vt antiquis carceribus noui addendi fuerint, neque cessatur ab quotidie conquirendis: Vincit tamen numerus diligentiam insectantium: Intelligo ab vno mense in tabulas relata esse quinquaginta millia eorum qui sana hæreticorum adire reculant, inde vulgo dicti *Recusantes*; vnde colligas quanta sit vniuersim multitudo Catholicorum, cum tanta sit eorum copia qui palam vitam fortunæque suas libidini insequentium atque discrimini offerunt. Mirum est quanto iam ardore atq; constantia hæc noua sacra plerique detestantur, vt nè ad limen quidem comparere velint. Optatio fuit nuper Nobilibus quibusdam vt semel saltem in anno reuerenter adessent, vel factâ etiam protestatione non approbandorum sacrorum gratiâ venisse, sed vt Reginae obediens se præberent; conscientia tamen illibatam Religionem libertati quæ promitte-

Epistola Personij de re Catholica Ao. 80.

Ribadenc. ral. 2. a. 2.

Recusantes qui & quam mult.



promittebatur prætulere. Ecce puerulo suaferant ut nouæ nuptæ ad templum progredienti honoris causâ anteiret; Inde ab æqualibus Schismaticis cum audiret, tantâ comploratione expiauit culpam, ut nullum admitteret consolatorem, donec post dies aliquot in me incidens, prouoluit ad gentem rogaret delicti veniam, sanctè promittens nullis in futurum tormentis adducendum se ut simili se pollueret scelere; atque infinita sunt huiusmodi quæ prætereo. Ea verò nostra est conditio ut licet Edictis publicis omnes à congressu nostro arceantur, in omnium tamen finis desiderio; quacunque incedimus cupidissimè excipimur: Complures itinera longinqua suscipiunt ut paucarum horarum sermone fruantur; tum se totos in nostra potestate futuros profitentur. Vbiq; ministrant necessaria; etiam rogant ut de suo in nos ipsos liberales simus: Sacerdotes habemus vbiq; consentientes; quid dico consentientes? obsequentes potius plurima cum amoris significatione, atque ut verbo absoluam, tanta est de Societate apud omnes exultatio, ut non parum sollicitos nos reddat uti eam præstemus; præteritum cum tam magno intervallo absumus ab ea quam in nobis venerantur perfectione, quò magis uestrarum egemus ope orationum.

Nuper dum alium inlequantur, calu incidunt in *Sherwinum*, præclarum is de fide testimonium præbuit coram Londinensi pseudo Antistite; onerant illum ferro copioso; fert magna cum lætitia, & quemadmodum ad me scribit, dum se pro Christo detineri videt vix tenet risum. Vexatores nostros plurimum cruciat quòd nullo crudelitatis genere vel vnum Catholicum ab instituto reuocare possunt, nè puellas quidem. Nobilis inter illas interrogata à Londinensi quidpiam de Pontifice, cum constanter respondisset quod res erat, iussa est ab immemore humanitatis viro duci ad carcerem in quo mētricia puniuntur; Ibat vociferans (& hoc vno læta) quòd non pro crimine, sed pro fide & Conscientia duceretur. A prima luce in multam noctem, postquam ea quæ ad Dei cultum spectant peregero, postque duplicem quandoque vno die habitam concionem, distrahor continuis negotijs: Præcipua sunt, ut de Conscientiæ quæstionibus respondeam; ut Sacerdotes ad opportuna loca tranmittam; ut ad Ecclesiam redeuntes accipiam; ut scriptis literis in fide vacillantes corroborem; ut Eleemolynis Carcere detentos subleuem; quòd tunc enim sollicito, & sollicito. Tam multa deniq; sunt quæ agenda superueniunt, ut animo desponderem nisi clarum esset è Dei gloria ista esse omnia quæcumq; agimus. Maiusque est solatium videre quanta lætitia nostrum vbiq; adgratulatur aduentum in has Prouincias, quàm potest aut animi aut corporis esse labor. Peto ut nos orationibus iuuetis quò tantam possimus sustinere omnium expectationem. Valet.) Neque abs re erit nostri hominis fidem, Sacerdotis sub idem tempus scribentis testimonio confirmare. Ita enim ad Rectorem Seminarij. "Negotium nostrum perbelle promouetur. Merces quas ferimus, etsi plures contemnunt atque etiam auersantur, sunt tamen qui coëmant; plurimi etiam qui admirentur.

L

Sherwini  
constantia,

Nostrorum  
occupatio-  
nes.

De nostris  
qui Sermo-  
nes.



1580. tur : Omnis sermo per Angliam est de Patribus Societatis, quos hic Iesuitas vocant; finguntur de illis plures fabulæ quàm olim à Poëtis de suis monstris; De origine, de instituto, de ratione viuendi, de consuetudinibus & doctrina, de actionibus & propositis tam multa dicuntur, tamque male sibi cohærentia, vt cuius appareat inaniam caput esse deliramenta potius, quàm recta rei alicuius narratio. Hæc tamen publicè, hæc priuatim, hæc pro concione, hæc scriptis libris vulgantur. Caput est; venisse illos omnetque nos à Pontifice exploratores, Proditores, & publicæ quietis interturbatores, Calvinistæ aliqui scripserunt contra *Campianum*, & aduersus vniuersum ordinem Iesuitarum, vitam ipsam *Ignatij* Fundatoris perstringentes: Non tulere impunè: Intra decem dies prodijt responsio quæ perpetuum fronti ipsorum inscripsit ruborem; finem non facerem narrandi, si zelum ardoremque Catholicorum hic velim per singula depingere.)

XVI. Quò se magis Patrum Sacerdotumque intendebat industria ad fidem Orthodoxam inter hostium quotidianos incurfus tuendam, eò atrocior hæresis infurgebat in omnium ordinum Catholicos, ad constantiam subuertendam. Recentibus Regni Comitij ad diem decimum sextum Ianuarij indiëtis, sancitum est, vt quicumque decimum sextum ætatis annum expleset, nisi templa hæreticorum frequentaret, viginti lbras pecuniæ Anglicanæ, hoc est, octoginta aureos, in singulos menses Regiæ penderet; collectisque diebus qui in mensibus præter vnum Februarium omnibus viginti octo excedunt, numerarunt in anno menses tredecim; Tum lætæ Majestatis dicebatur reus, qui absolutionem ab hæresi vel à peccatis aut suauisset aut accepisset à Sacerdote Catholicè initiato: nimirum id omne auocationem ab debita Regiæ obedientia interpretabantur. Sacrosancto Missæ Sacrificio interfuisse culpa erat ducentis sexaginta sex aureis eluenda, & vnius anni custodia. Qui celebrasset in duplum mulctabatur. Quo in genere accidit nuper ridiculum quidpiam, atque ad Iudicium nostrorum in huiusmodi causis ingeriam perquam aptum: Cum secularis Sacerdos accusaretur de ordinibus lacris trans mare susceptis, neque id duodecim viris (quorum est de facto iudicare) satis probaretur, atque ea propter dixissent illi infontem: quia tamen obscurus Apostata iureiurando confirmabat audiuisse se eundem missam celebrantem ante annos triginta, absolutus Sacerdotij, damnatus eius quod nisi Sacerdos esset facere non posset (cum tantæ mulctæ soluendæ non esset) hospitium ei perpetuum carcer factus est. Sed quod rem nostram attinet propius; harum legum occasione dati sunt in custodiam sub hoc tempus Comes Southamptonius; Barones Pagettus, Comptonus, Vauxius; Equites Aurati, Thomas Tressamus, Guilielmus Catesbeyus, Ioannes Arundelius, Nicolaus Pointz; viri illustres & copiosi Rudolphus Sheldonus, Thomas Throckmortonus, & complures alii: atque inter cæteros Catholicarum partium præstantissimos cultores curatoresque, *Georgium*